



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Revsneri Ivrisconsvlti Hilaria, siue Evphronae
Pantheae**

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1581

VD16 R 1422

LX. Dauidi Besserero Theol.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12386

*Laboriosum animal, dum viuit, est homo:
Mulinique secum vita adfert molestia.
Vnum hoc doloris est tanti solatum:
Quod mens, aliena quum cernit mala, jam sui
Oblita fit prudentior tandem mali.
Si pauper est, se pauperiorem Telephum
Agnoscit: et jam pauper est libenter.
Sin æger, ægrum cernit hæc Alcmæonem:
Si lippus est, cæcum intuetur Isyphum:
Si claudus, inspicit Philoctetem: senex
Si forsan infelix, cognoscit Oeneum:
Sin orbus est, Niobe dolores huic leuat.
Sic cogitatio alieni semper mali
Lenit suum cuius infortunium.
Ceu nauta fert casum, et procellas æquior:
Qui mille ponte naues obrui videt.
Malum suum intueri, si nemo mali
Sit socius, ingentes dolores hoc facit.*

LIX.

Ad Petrum Vincentium.

*Qui mala fert male, PETRE: bisque dolore
(mala)*

Fit miser: at mala qui fert bene victor abit.

LX.

Dauidi Besserero Theol.

Qui benè numen amat, benè credit hic, et benè spe-
Spes homines seruat nempe, fidesq; beat. (rat:

LXI.

Ad Georg. VVirthum Med.

Aegrum si medicus cessat curare, G E O R G I,
Desperat, medici par quoque cura Dei est.
Quos amat, hos curat: quos curat, visitat: et quos
Visitat, affligit sic, cruciatque Deus.
Segnius hos curat, quos odit: parcit eisdem,
Supplicio pœnas ut grauiore luant.
Iudicat at sanctos hic, ne male judicet illic:
Sed plena secum prosperitate beet.

LXII.

Ioan. Ludouico Hain-
zelio Patr. Augst.

Quis poterit cœlum pariter, terramque tueri?
Sic mundi simul haud est amor, atque Dei.

LXIII.

Ad Abrahamum Caz-
beggium à Turenstain.

Quod melior cunctis Deus est, plus debet amari:
Qui bona querit, amet sic, ABRAHAME,
(Deum.

LXIV.

B 5 Ad